



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VI. Qua ratione fides sit initium nostræ iustitiæ ac salutis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Motus dubitationis non semper arguunt incertitudinem.

dicatur de re aliqua dubitare; sic cōcessa maiore nego minorem: fides enim nullo modo potest consistere cum tali dubitatione, si autem intelligatur de inuoluntarijs quibusdam dubitationis motibus, sic nego maiorem: hi enim non semper arguunt minorem certitudinem assensus, sed solum minorem obiecti euentiam, aut plures rationes in apparentia euidentis in contrarium occurrere. Sicut ingentem aliquam acramosam & altam ventisque expositam arborem magis ab his agitari, quam virgultum aliquid humili loco, quod ventus vix pertingit, confutum, aut etiam si lubet illam tempestare euelli, dum hoc immotum manet; non arguit illam minus firmiter terræ adherere, aut facilius quam hoc moueri & eradicari posse, sed illam maiori vi oppugnari.

Ad quartum, nego maiorem. Ad probationem, Respondeo hanc solum probare eam disiunctiuam esse veriorē, vtraque parte absolute asserta, si spectetur secundum suam naturam; non autem si spectetur prout subest diuinæ reuelationi, qua ratione nequit esse certior: res enim à Deo reuelata qua talis, ita est in summo gradu necessariò vera ac infallibilis, vt infallibilior, magisque necessaria esse nequeat.

Res fidei sunt in summo gradu necessariò vera.

61 D. Thomas.

Qua ratione fides dicatur minus certa ex parte subiecti.

Ad auctoritatem D. Thomæ allatam nu. 36. Respondeo eum solum velle assensum fidei ex parte subiecti sibi proprii, scilicet intellectus secundum se sumpti, non esse tam certū quam sit scientia; quia intellectus per se & sine imperio voluntatis ei non ita firmiter adheret. Deinde addit, fidem esse etiam secundum quid minus certam quoad nos, non quia per fidem minus firmiter, aut minus certò adheremus obiecto quam per scientiam; sed tum quia est in nostra potestate discedere à fide, non autem ita est in nostra potestate discedere à scientia, atque ita secundum quid, siue secundum quamdam considerationem assensus fidei est minus firmus siue immobilis. tum etiam quia vitio atque inconstantia aliquorum accidit vt à fide de facto dimoueantur, atque ita minus ei adherent quam scientiæ. Inderamen non sequitur, fidei assensum non esse ex se, & generatim loquendo certiorē scientiā etiam quoad nos, siue ita vt verè per eum certius assentiamur rebus creditis; sed solum eum in quibusdam particularibus personis ac circumstantiis illarum vitio esse minus firmum, atque ita secundum quid minus certum.

D V B I V M V.

Vtrum actus fidei sit meritorius?

62 D. Thomas. Hanc quæstionem tractat D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 9. & responder affirmatiuè; accipit autem actum fidei prout complectitur etiam actum voluntatis, quo assensus fidei immediatè imperatur: quia, vt dixi supra, vterque actus ad virtutem fidei pertinet, & pro actu moraliter vno accipi solet, sicut actus internus & externus aliarum virtutum. Et siue moueatur difficultas de vtroque actu simul sumpto, siue de singulis per se sumptis; facile est eam definire

ex dictis partim disp. 8. dub. 4. vbi explicui quænam sint necessaria vt actus aliquis sit meritorius: partim disp. 4. dub. 3. & disp. 13. dub. 4. 5. 6. vbi ostendi, actum fidei esse supernaturalem in substantia & intrinsecè honestum: totam tamen rationem libertatis, & consequenter bonitatis formalis, accipere ab actu voluntatis, quo assensus fidei imperatur. Quare paucis rem totam concludam.

CONCLUSIO I. Actus voluntatis quo assensus fidei supernaturalis imperatur, est formaliter meritorius de condigno vitæ æternæ, si fiat ab homine iusto. Est communis & certa; quia, vt patet ex locis iam citatis, est actus formaliter liber, honestus, supernaturalis, ac reliquas omnes condiciones ad meritum de condigno requisitas habet.

CONCLUSIO II. Assensus fidei supernaturalis secundum se sumptus non est formaliter meritorius: quia non est formaliter liber. Sicut tamen habet intrinsecam honestatem materiam siue obiectiuam, ita coniunctus actui interno est simpliciter meritorius, sicut alij actus externi virtutum iuncti actibus internis, sunt similiter boni & meritorij.

CONCLUSIO III. Actus fidei integrè sumptus, prout vtrumque actum complectitur, scilicet intellectus & voluntatis, elicitur ab homine peccatore, de cōgruo per modum dispositionis aut impetrationis est meritorius infusionis habitus fidei, si eliciens hunc nondum habeat; aut augmenti eiusdem, si eum prius habuerit: atque etiam aliquarum gratiarum præuenientium ad vltiorem conuersionem conducentium, cum enim hic actus sit simpliciter & formaliter honestus & supernaturalis, ideoque procedat ex gratia, quæ à Deo homini in eum fidem datur, vt homo se ad vltiorem in ordine ad salutem conuersionem & perfectionem disponat; nulla est ratio cur negemus peccatorem per eiusmodi actum ad supra dicta disponi, & congruere vt Deus propter illud det huic gratiam necessariā vt vltius conuerti possit: præsertim si fidem suam eo referat, vt hanc à Deo impetret, & consequenter hanc de congruo mereatur iuxta dicta disp. 8. dub. 1. vbi explicui quæ requirantur ad meritum de congruo; & ostendi quomodo in peccatore reperitur, & contrarias rationes solui. vide etiam dicta disp. 6. dub. 4. vbi ostendi habitum fidei infundi peccatori, in eoque per actus fidei augeri ante habitum caritatis.

D V B I V M VI.

Qua ratione fides sit initium nostræ iustitiæ ac salutis?

66 Fidem esse nostræ salutis & iustitiæ initium Apertè docet Tridentinum sess. 6. c. 8. & D. August. cum pluribus alijs locis, tum epist. 105. vbi ait: *Resat igitur vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, &c.* Quare omnes concedunt hoc aliquo sensu esse verum; mouent tamen difficultatem Primò, an hoc intelligendum sit de fide actuali, an verò de habituali: Secundò, an fides ita debeat dici initium nostræ salutis, vt nulla

nulla opera bona etiam ex praeuenienti gratia facta eam possint praecedere, quae operanti vltiorem gratiam quam ad fidem perueniat, impetrent, aut de congruo mereantur, cum uero ad fidem suscipiendam disponant.

67 *Molina.* Circa prius dubium Molinæ in sua Concordia disp. 4. §. Deinde Concilium docet, Trident. sup. intelligendum esse de fide habituali: quia Concilium ibidem dicit fidem esse fundamentum & radicem omnis iustificationis, & sine qua impossibile est placere Deo: quare debet etiam esse fundamentum iustificationis paruulorum baptizatorum, qui placent Deo, & tamen non habent fidem actuale: ergo Concilium loquitur de fide habituali: dicitur autem fides habitualis initium nostrae salutis, quia, ut docet ibidem Concil. c. 7. per eam incipimus imperfecte inhaerere ac vniri Christo, qui est vita & salus nostra, & à quo nobis vnito omnis vita & salus in nos deriuatur.

68 *Vasquez. Turrian.* Contra Vasquez 1.2. disp. 210. c. 7. n. 52. Turrian. 2.2. disp. 41. dub. 5. & quidam alij volunt Concilium loqui de actu fidei. Primò, quia Concilium ibi explicat, quo sensu Apostolus ad Rom. 3. dicat nos iustificari per fidem, & quidè gratias, docetque prius dici, quia fides est initium iustificationis nostrae: secundum verò, quia nihil eorum quae iustificationem antecedunt, sine fide, sine opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: ergo loquitur de iustificatione adultorum, quibus solis opera & merita conuenire possunt; & de fide actuali, de qua sola posset esse suspicio meriti. Secundò, quia c. 5. & 6. ubi agit de dispositionibus ad iustificationem requisitis, loquitur de iustificatione adultorum: ergo etiam hic. Tertiò, quia Concilium loquitur in sensu Patrum: atqui hi dum dicunt fidem esse initium nostrae iustificationis, agunt de fide actuali: ergo etiam Concilium.

69 *Fides tam actualis quam habitualis suo modo est initium nostrae iustificationis.* Sed dicendum est, Concilium posse commode intelligi de vtraque fide, siue de fide in genere prout vtramque complectitur, & sic vtramque sententiam commodè acceptam esse veram. vtraque enim fides in suo ordine est initium nostrae iustificationis. Nam si agamus de principio formali nostrae iustificationis, siue quo formaliter incipimus iustificari: hoc est necessariò fides habitualis (quia formaliter non per actus, sed per infusos nobis habitus iustificamur; ut docet ibid. Concilium c. 7.) qua sicut imperfectè incipimus vniri Christo, ita etiam incipimus iustificari. Contra si agamus de principio actuali iustificationis, siue de dispositione ex nostra parte ad iustificationem praerequisita, fides actualis dicenda est initium nostrae iustificationis, quia per hanc primò ad iustificationem incipimus disponi. Item sicut Concilium c. 5. & 7. agit de iustificatione adultorum & dispositione ad hanc praerequisita: ita c. 7. agit de iustificatione formali tam infantum quam adultorum. Nec argumenta hinc inde pro vtraque sententia allata aliud probant, quam vtramque sententiam commodo sensu esse veram, & Concil. de vtraque fide in diuerso sensu posse intelligi. Vbi Nota, dum actus fidei dicitur initium salutis nostrae, sub fide etiam comprehendi volunta-

tem credendi, quia, ut ostendi disp. 13. num. 71. Concilia & Patres per actum fidei vtrumque actum, scilicet tam voluntatis quam intellectus, intelligunt.

Circa secundam difficultatem quidam apud Turrianum 2.2. disp. 41. dub. 6. absolute negant vllum opus etiam ex gratia praeueniente factum posse mereri etiam de congruo, aut impetrare gratiam praeuenientem, quia à Deo excitentur ad fidem: aut nos tali opere ad fidem vllò modo posse disponi. Et hanc sententiam necessariò sequuntur ij omnes, qui negant infideles posse facere vlla opera bona, quos citabimus infra disp. 18. dub. 5.

Probatur Primò, quia aliàs fides non esset initium nostrae salutis; nam cum ista opera ad salutem conducerent, salus verè ab ijs inciperet.

Secundò, quia aliàs contra id, quod docet Apostolus ad Rom. 3. homo non magis iustificaretur ex fide, quam ex operibus: nam, ut docet Trident. supra, ideo dicimur iustificari ex fide, quia haec est iustitiae nostrae initium; opera autè illa cum ad iustitiam conducerent, etiam essent iustitiae initium.

Tertiò, quia S. Augustinus epistola 105. & alibi docet, fidem nobis à Deo dari sine praecedentibus meritis, ubi ait: *Quoniam inde* (scilicet à fide) *incipiunt bona quaecumque sunt merita.* & infra: *Opera quippe bona, inquit, sunt ab homine, fides autem sit in homine, sine qua illa à nullo sunt homine.* Atqui haec essent falsa, si fidem possent praecedere aliqua opera, quibus de congruo meremur vocari ad fidem: tum enim haec daretur nobis ex illis meritis, & merita bona fierent ab aliquo homine sine fide.

Quartò, quia aliàs sequeretur, hominem sine fide posse placere Deo: quia cum talia operando Deum moueret ut sibi daret gratiam, deberet in ijs operibus Deo placere.

Plurimi tamen Theologi contrarium docent, scilicet infidelem posse ex praeueniente Dei gratia facere aliqua opera bona, quibus vltiore gratiam qua ad fidem pertingat impetret, & ad hanc suscipiendam se disponat; atque ita aliqua ratione eam de congruo mereatur. Ita Vasquez 1.2. disp. 190. n. 132. Turrian. 2.2. disp. 41. dub. 6. Imò quidam apud Lessium l. de Grat. effie. c. 10. & in appendice ad idem caput. & apud Vasqu. 1. p. disp. 91. praesertim c. 6. & 10. videntur operibus viribus naturae factis tribuere aliquam dispositionem ad gratiam.

Sed quidquid de hac re sit, constat saltem communem ferè esse omnium Theologorum sententiam, Deum infideli per acceptam gratiam praeuenientem facienti quod in se est, siue bene videnti gratia iam accepta, dare maiorem gratiam, qua possit ad fidem & salutem peruenire; ita ut prior bonus usus gratiae sit aliqua ratione causa cur altera detur. Ex quo sequitur, prioris gratiae bonum usum aliquo modo aut mereri, aut impetrare secundam, ac operantem ad hanc suscipiendam disponere; neque enim est alia ratio qua possit aliquo modo dici huius esse causa.

Pro resolutione Nota Primò, certum omnino esse, infideles, saltem ex auxilio gratiae, qua bona opera facere possunt.

70

Rom. 3.

August.

71

Vasquez. Turrian. Lessius.

72

Infideles possunt aliquid gratiae, qua bona opera facere possunt.

posse facere aliqua opera moraliter bona, ut pluribus ostendam disp. 18. dub. 5.

Secundò, Deum neminem saltem adultum acratione videntem ita in hac vita deferere, quin det ei sufficientia gratiæ auxilia, quibus possit paulatim ad salutem peruenire, si ijs prout potest & tenetur collaboret. ut fuscè docet Vasquez 1. parte disp. 97. cap. 3. & citatis pluribus auctoribus, ac claris Scripturis ostendi tomo 2. de Sacram. disp. 2. dub. 1. Ex quo sequitur, infideles sapè eiusmodi gratiam accipere, qua si velint possint beneagere.

Vasquez.

73

Deus dat nobis suam gratiam ut ea bene v. tendo acquiramus salutem.

August.

Nota Tertio, Deum post lapsum Adam omni gratiam quam homini ad bene operandum dat, dare intuitu meritorum Christi, siue propter Christi merita, eaque intentione ut iustè operemur, ac ad iustitiam & salutem perueniamus. Hinc Patres disputantes contra Pelagianos, qui creationem, qua gratis à Deo creati sumus, vocabant gratiam ad bene operandum necessariam, sapè sine distinguunt gratiam creatoris, qua dona naturæ accepimus, à gratia Christi, quæ ob Christi merita nobis ad bene operandum datur. Vnde etiam D. Augustinus epist. 105. ait: *Non istam gratiam commendat Apostolus qua creati sumus ut homines essemus; sed qua iustificati sumus ut iusti homines essemus. Ista enim est gratia per Iesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut iustificarentur. Vbi aperte docet, sicut Christus mortuus est ut impij iustificarentur, ita gratiam quæ impijs à Deo propter Christum datur, ijs dari ut per eam iustificentur, siue ut bene operando ad iustitiam perueniant. loquitur enim de gratia, qua excitamur & adiuvamur, ut bene operemur.*

74

His positis Respondeo Primò, absolute dicendum esse, infidelem excitatū diuina gratia posse aliqua opera bona facere, quibus ad maiores gratias, per quas ad fidem conuerti possit, à Deo suscipiendas disponatur, qualque de facto impetret si illa faciat.

Probat, quia, ut iam ostendi, Deus propter Christi merita dat omnibus adultis, & consequenter etiam infidelibus, sufficientes gratias, ut, si velint ijs collaborare, possint ad salutem paulatim peruenire: item illi etiam ante acceptam fidem possunt illis gratijs adiuti aliqua opera bona facere, v. c. dare multas elemosynas, exercere iustitiam, &c. Item ex dictis patet, Deum priorem illam gratiam dare propter merita Christi, ea intentione ut illi infideles illa opera faciendo paulatim ad fidem ac salutem perueniant. quod omnino frustra fieret, si illa opera ad hunc finem nihil iuuarent: nec potest videri quomodo iuuent, si operantem nullo modo melius disponant ad gratias vltiores ad conuersionem necessarias recipiendas, nec has vllomodo à Deo impetrent. Sicut frustra aliquis princeps alicui pauperi sumptus ad studendum necessarios suppeditaret ea intentione ut eum postea promoueret ad aliquod officium, si hic bene studendo, nec posset fieri aptior ad illud officium suscipiendum, nec etiam posset impetrare ut princeps hoc ei iam dicto conferret.

Nec sufficit si dicase opera solum esse conditiones, sine quibus Deus non daret eas gratias, sicut auditio concionis etiam ex curiositate (ut videtur S. Augustino contigisse) est quandoque occasio tur Deo alicui det gratiam, qua conuertitur. hoc inquam non satisfacit: quia hoc solum habet locum in actionibus externis necessarijs ut quis discat quæ sibi credenda aut facienda sunt, aut hæc in memoriam reuocet, & firmius sibi imprimat, quia Deus non vult hæc semper homini per se sine creaturarum cooperatione inspirare. Secus est de alijs pijs operibus, quæ cum eiusmodi inspirationibus aut mentis illustrationibus non habent connexionem, quæ magis ex dicendis patebunt.

Respondeo Secundò, vtrum talis debeat dici per eiusmodi opera mereri vltiorem gratiam qua ad fidem perueniat, esse questionem de nomine; verius tamen esse id posse dici, quia, ut ostendi disput. 8. dub. 1. ut aliquis per aliquod opus aliquid à Deo de congruo mereatur, sufficit quod opus sit tale, ut omnino conueniat Deum illud facienti hoc dare, & ad hoc de facto dandum propter illud moueatur, siue ut idè hoc det, quia illud fit. Dicta autem opera respectu illius gratiæ sunt talia: ergo hæc de congruo merentur. Minor probatur, quia cum Deus det illi infideli priorem gratiam, ut ea bene vrenti conferat maiorem, omnino conuenit ut illud facienti hanc det; aliàs frustra facienti ea intentione daret, vnde etiam illud opus per se spectatum non sit fortè tale, quod habeat aliquam congruitatem propter quam omnino conueniat Deum hanc gratiam dare, siue propter quam Deus merito moueatur ut hanc det: atque ita si fieret ex meritis naturæ viribus, eam congruitatem non haberet; eam tamen habet quatenus procedit à gratia dicta intentione data, ut probat argumentum iam allatum.

Ad primum argumentum positum n. 70. aliqui respondent fidem dici initium salutis, siue iustitiæ, quia est initium necessarium nostræ salutis, siue quia fides est primum opus ad iustificationem adultorum omnino necessarium, ita ut sine ea nullus iustificari possit. Secus esse aiunt de alijs illis operibus fidem præcedentibus, sine quibus multi de facto iustificantur, qui subito ex suis sceleribus ad fidem vocantur.

Sed hæc responsio patitur difficultatem; nam Patres & Concilia absolute & sine restrictione dicant fidem esse initium nostræ iustitiæ, siue iustificationis: atqui secundum illam responsionem, in adultis, (de quibus secundum illos Patres & Concilia agunt) fides non esset absolute, imò nec communiter quidem initium iustitiæ ac salutis nostræ; quia in infidelium conuersione fidem communiter præcederent aliqua alia bona opera, à quibus iustitia inciperet; nam hi rarissime cōuertuntur, quin prius ex gratia præuenienti fecerint aliqua alia bona opera, propter quæ Deus dedit ijs eā gratiam, qua sunt conuersi ad fidem, & sine quibus sapissimè hanc non daret: atque ita etiam non omnino generatim, tamē in dictis personis illa opera non solum sunt initium iustitiæ, sed sunt etiam necessarij ipsius

Respon-

77 Qua ratione omnis nostra iustitia incipit a fide.
 Respondeo igitur, quando Concilia & Patres aiunt fidem esse initium nostrae iustitiae ac iustificationis, eos loqui non de quavis iustitia, siue prout etiam in statu naturae potuisset reperiri, sed de iustitia Christiana siue supernaturali, quae consistit in actibus siue habitibus statui supernaturali proportionatis, & consequenter in substantia supernaturalibus: inter omnes autem actus aut habitus in substantia supernaturales fides est prima, atque ita est propriè & absolute initium nostrae iustitiae: quia ante illam nullus datur aut habitus aut actus in substantia supernaturalis. Quare etsi nostra iustificatio possit quandoque dici extrinsecè quodammodo incipere à dictis operibus, tamquam à remotis dispositionibus praerequisitis, atque ita haec possint dici initia extrinseca, & secundum quid nostrae iustificationis; tamen absolute & propriè loquendo fides sola est illius initium, quia ab hac sola intrinsecè incipit.

78 Cur omne opus bonum dicatur incipere a fide.
 Haec eadem est ratio, cur Patres dicant omne opus bonum in nobis incipere à fide, & siue hac nullum posse esse in nobis actum meritorium. loquuntur enim de actu, qui possit ex parte sua verè & propriè esse meritorium, siue cui posset conuenire ratio meriti propriè dicti, & prout Scriptura de eo loquuntur, cui scilicet debetur merces & corona iustitiae, atque ita quod ei redditur, non potest dici gratis dari, vt

2. Timoth. 4. docet Apostolus 2. ad Timoth. 4. vbi ait: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* & ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Sec. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioqui gratia iam non est*

Rom. 11. *gratia.* Meritum autè de congruo solum est meritum improprie dictum, & secundum quid; quia id quod ei redditur, potest absolute dici dari gratis. Patent haec clarè ex Tridentino sess. 6. c. 8. supra citato, vbi explicans cur Scriptura & Patres dicant nos gratis iustificari, non obstat eo, quòd in iustificatione adulatorum fides & detestatio peccatorum, aliaque actiones quas c.

6. enumerat, praerequirantur, quibus illi ad iustificationem disponuntur, ait: *Gratis autè iustificari ideo dicimur, quia nihil eorū, quae iustificationem antecedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Quod deinde probat ex verbis citatis ex 11. ad Rom. hoc autè esset falsum, si non intelligeretur de merito de condigno. Nam contriti secundum communioem sententiam merentur iustificationem suam de congruo. Nec satisfaciunt quod aliqui dicunt, Concilium per iustificationem & gratiam iustificationis intelligere non solum infusionem gratiae habitualis, qua formaliter iustificamur, sed totā seriem gratiarum quae ad iustificationem concurrunt, & quibus ad iustificationem disponimur. quā seriem nulla merita etiam de congruo praecedunt. hoc inquam non satisfaciunt; quia Concilium aperte loquitur de iustificatione & gratia iustificationis, quam fides aliaque opera sequentia fidem praecedunt; quae solum praecedunt infusionem gratiae iustificantis. vide dicta disp. 8. dub. 6. n. 101.

79 Meritum de congruo est solum meritum secundum quid. Trident.

Coninck de act. supernat.

Dices, Hinc sequetur, secundum modum loquendi Patrum, actum fidei informis non posse dici meritorium, quia non meretur de condigno: illud autem videtur repugnare D. Augustino, qui epistola 105. & tractatu 44. in Iohan. docet publicanum adhuc peccatorem sua fide meruisse remissionem peccatorum. Respondeo, quidquid sit de his locis D. Augustini, de quibus satis eg. disp. 8. du. 8. n. 102. nego illud sequi, quia actus fidei est in substantia supernaturalis, & consequenter ex se meritorius de condigno, & quòd in peccatore non sit ita meritorius, per accidens est ratione ipsius status operantis; ideoque Patres considerantes quid illi actui secundum se conuenire potest, tribuunt ei rationem meriti. Secus est de actibus praecedentibus ipsam fidem, qui quia secundum suam substantiam sunt naturales, ex se nullam habent proportionem cum premio omnino supernaturali; atque ita per se inepti sunt ad veram rationem meriti. Et ob eandem causam, D. August. pluribus locis negat in infidelibus posse reperiri vllum actum bonum, aut virtutis, vt ostendam disp. 18. dub. 3.

Ad secundum, nego assumptum: satis enim iam ostendi quòd fides longe aliter sit initium iustificationis nostrae, quam dicta opera ipsam praecedentia, atque ita meriti dici iustificationem esse ex fide, non autem ex operibus eam praecedentibus.

Ad tertium, aliqui respondent, D. Augustinum solum velle opera quae ante fidem sunt merè viribus naturae, non posse esse vllaratione meritoria; non tamen id negare de operibus factis ex gratia. sed hoc nullum omnino habet fundamentum in verbis S. Augustini, ipsae aperiunt vim facit; nam ea ratione solum debuisset dicere nullum opus posse esse meritorium ante acceptam gratiam, & falsò dixisset nullum posse esse tale ante fidem. Quare iuxta dicta supra, respondeo Augustinum loqui de operibus, quae quantum eltex se, possunt esse meritoria de condigno (quae sola possunt propriè dici meritoria, siue habere vim merendi) quaelia nulla sunt ex iis quae praecedunt fidem, vt iam ostendi.

Ad quartum, nego assumptum: solum enim sequitur, aliquod opus hominis infidelis posse placere Deo: cum quo optimè consistit operantem Deo absolute displicere: sicut actus fidei in peccatore placet Deo, cum tamen eum eliciens absolute displiceat.

Dices, D. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 4. ad 3. ait, Cornelium Centurionem dum faceret elemosynā aliaque opera bona, quae Actorum 10. in eo laudantur, non fuisse infidelē; quia aliās eius opera non placuissent Deo, cui siue fide nemo potest placere. Respondeo D. Thomam ibi non velle nullam actionē infidelis posse vlla ratione placere Deo; sed solum negare eius opera posse placere Deo ea ratione, qua Actor. 10. Cornelij actiones dicuntur placuisse Deo; ita scil. vt ratione ipsarum ipse vocetur vir religiosus & timens Deum, siue ita, vt ratione ipsarum ipse operans etiam placeat Deo, prout Cornelius placuit. Quod vel inde patet, quia probat operationem Cornelij non potuisse placere Deo siue fide,

Y quia

80

August.

Quare actus fidei informis potius dicatur absolute meritorius, quam actus eum praecedentes.

81

Potest opus placere Deo, etsi operans displiceat.

82

D. Thom.

Act. 10.

quia sine fide impossibile est placere Deo; quod, ut iam ostendi, non probat, nullam actionem infidelis posse placere Deo, sed solū ipsam personam sine fide non posse placere Deo.

D V B I V M VII.

Quaratione fides dicatur fundamentum & radix nostræ iustificationis?

HOc dubium proponitur, ut intelligatur locutus Tridentini sess. 6. c. 8. ubi docet S. Paulum ad Rom. 3. ideo dicere nos iustificari per fidem, quia fides est humane salutis initium, fundamentum ac radix omnis iustificationis. Bañez 2. 2. q. 4. a. 7. dub. 2. totam comparationem fidei cum fundamento & radice in eo constituit, quod, sicut radix & fundamentum sunt origine prima pars totius ædificij aut arboris, ita fides sit origine prima pars ædificij spiritualis; unde ait fidem informem non posse in eo comparari fundamento & radici, quasi ipsa sustentet ac connectat reliquas ædificij spiritualis partes, sicut facit fundamentum domus materialis, aut quasi fructificet sicut radix arboris: hæc enim vult sollicitudini convenire. nam ad Galat. 5. & alibi fides dicitur operari per caritatem: & ad Ephes. 5. Apostolus optat ut fideles sint in caritate fundati & radicati. Addit verò Bañez hoc diligenter à Catholicis observandum, ne cum Luthero consentiant, docente fidem, si vera sit, statim ex se fructificare spem & caritatem. Tandemque conclus. 4. docet, fidem informem posse dici fundamentum secundum potentiam & aptitudinem quasi materialem respectu ædificij Christiani.

Vasquez verò 1. 2. disp. 210. c. 7. putat dictam opinionem non nihil detrudere ipsi virtuti fidei, docetque Primò, sicut fundamentum domus materialis, dum hæc incipit paulatim exurgere, etiam antequam tectum imponatur, verè exerceat rationem fundamenti sustinendo partes parietum sibi impositas: ita antequam caritas tamquam tectum domus spiritualis imponatur, dum homo iuxta Trident. sess. 6. c. 6. paulatim per actus fidei, timoris, spei, &c. ad iustificationem disponitur, fidem per harum partium spiritualis ædificij sustentationem exercere actu officium fundamenti.

Docet Secundò, etsi, ut fides actu exerceat rationem fundamenti respectu totius ædificij, necessarium sit adesse caritatem, sine qua illud nequit esse perfectum; ipsam tamen non ab hac, sed à se habere vim sustentandi ædificij; sicut etiam accidit in fundamento domus naturalis, quod nequit completum ædificium actu sustentare, nisi tectum sit impositum. Sicut tamen hoc non habet propriè rationem fundamenti, & vim reliqua sustentandi à tecto, sed ex se; ita ait fidem in ædificio spirituali, non habere eiusmodi vim à caritate sed à se; quia aliàs verè non haberet rationem fundamenti, nec posset propriè & absolute vocari fundamentum. Quia cum nullam haberet vim sustentandi ædificium, nec hoc verè sustentaret (in quo tamen essentialiter consistit ratio fundamenti) nisi ratione caritatis sibi ad-

iunctæ, ipsa secundum se non posset verè & propriè dici fundamentum: cum tamen à Trident. suprâ, & sæpissimè à Patribus absolute vocetur fundamentum, eique officium fundamenti tribuatur.

Docet Tertiò, sicut radix non solū sustentat arborem, sed ei etiam succum subministrat, quo folia & fructum producit; ita fidem non esse solū fundamentum mortuum, ut contingit in fundamento domus, sed esse fundamentum vivum instar radicis: nam non solū super eam ædificatur domus spiritualis, sed etiam exercet officium radicis dum ipsa speranda ac amanda nobis proponit, varias ac piis affectiones timoris, spei, aliisque similes tamquam succum aliquem in nobis excitat, ex quo fructus caritatis pullulat. Unde S. Iudas in sua epistola pulchrè vocat hæreticos arbores autumnales, bis mortuas & eradicatas.

Pro quo Notat Vasquez suprâ c. 6. arbores in fine autumnus, dum fructus & folia ex quibus apparebat eorum vita, amittunt, quodammodo mori; mortuis enim arboribus planè similes sunt, & quamvis in radice vitam aliquam retineant, hæc tamen non apparet, & cum nec fructu nec folia proferant, otiosæ, & pro eo tempore inutilis sunt: atque ita hæc est quasi prima mors arboris: cui similes sunt peccatores fideles, in quibus fides est otiosa; ideoque mortua dicitur. Secunda mors arboris est quando eradicatur, aut cum radix ipsa in se moritur: cui similes sunt hæretici; ideoque à S. Iuda suprâ dicuntur non solū arbores autumnales, sed etiam bis mortuæ. Quæ Vasquez suprâ ingeniosè deducit, & Vasquez ex Patribus probat. Nec hæc sententia habet ullam connexionem cum sententia Lutheri, qui docet, verà fidem non posse separari à caritate, quod Vasquez cum omnibus Catholicis dānat, nec ex sententia iam relata ullo modo sequitur.

Et hæc sententia Vasquez ingeniosa est, & vim virtutis fidei, & quaratione sit fundamentum & radix, bene explicat. ut tamen melius intelligatur, ulterius notandum est, quod, etsi caritas eatenus respectu fidei habeat rationem fructus, quatenus ex fide proponente voluntati Deum ut caritate amabilem pullulat, tamen alia etiā ratione est vita non solū animæ ipsius, sed etiā fidei aliarumque virtutum, quæ sunt in anima. Primò, quatenus animam Christo perfectè vnit, in quo vita ipsius consistit, & consequenter tam eam, quam ea quæ in ipsa sunt, facit vivere. Secundò, quia fidem & spem aliisque virtutes excitat ad bene operandum, & fructus vitæ proferendos, iuxta illud D. Gregorij hom. 30. in Euang. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. Unde etiam pulcherrimè Apostolus 1. ad Corinth. 13. Caritas, inquit, patiens est, benigna est, caritas non amulatur, &c. & infra: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. ubi caritati tribuit vim & functionem fidei, spei, aliarumque; omnium virtutum, quia has omnes ad operandum excitat, atque ita facit eas vivere. Tertiò, caritas dicitur vita virtutū, quia facit ut earum opera sint meritoria vitæ æternæ, & consequenter ut sint fructuosa & vivax, quæ antea erant infructuosa, atque

83

Trident.

Rom. 3.

Bañez

Galat. 5.

Ephes. 5.

84

Vasquez.

Trident.

Fides ante

infusam ca-

ritate incipit

exercere of-

ficium fun-

damenti.

85

Fides à se,

non autem à

caritate, ha-

bet quod sit

apta ut sit

fundamen-

tum.

86

87

Peccator &

delis est si

nullis arbor

autumnali

hæreticus

eradicatur.

88

Qua ratione

caritas est

vita animæ

& virtutum.

Gregorius.

Amor num-

quā otiosus.

89

1. Cor. 13.